INVICTISSIMO CAESARI MAXIMILIANO II. ROMANORVM IMPERATORI SEMPER AVGVSTO

Spectata maiorum tuorum virtus, invictiſsime Cæsar, tuis quoque ampliſsimis ornamentis mirandum in modum aucta, sic hominum animos in laudes Auſtriacæ domus inflammat, ut ora omnium, oculos, manus quoque, et quicquid cuique virium eſt, ad eam significandam, celebrandam, prædicandamq; publice, et privatim convertat. Hinc tabulæ, hinc æra, hinc marmora, hinc æterna literarum monumenta, et quicquid usquã memoriarum, et titulorum eſſe poteſt, non poſteritati tantum, verum etiam æternitati illuſtriſsimum genus, et decus veſtrum commendat. in qua re prudentiæ, at benignitatis veſtræ eſt, non quid quisque pro viribus, sed quo animo afferat, considerare. satis enim conſtat non ingenium, non linguam, non manus, non aurum, non materiem ullam, pretioſam virtutis præſtantiam æquare poſſe; cuius quidem virtutis commendandæ potius teſtimonium, & imitandæ exemplum, vobis ijs rebus proponitur. Atque is honor, qui veſtræ celsitudini ab omnibus exhibetur; specimen, non præmium eſt meritorum veſtrorum. Boni igitur consulet clementia veſtra, si inchoatum olim à me opus, tua benignitate illud propoſitum approbante, et aliquibus eventis intermiſſum, modo perficere, et tuo numini dedicare velim. Compellit me, ut hoc faciam, tum splendor gloriæ veſtræ, quæ universum orbem in veſtras laudes accendit; tum devotio animi mei, et antiquæ servitutis affectus, erga Dominum meum clementiſsimum Ferdinandum Archiducem fratrem tuum; cuius clementiſsimo favore hanc animi mei propenſionem veſtræ dignitati acceptam fore confido. Excusi optime Cæsar æneis typis inciſa Auſtriacæ ſtirpis ſtemmata, imagines Principum virorum, Archiducum, Regum, et Imperatorum huius familiæ cum insignibus, et tropheis, et elogijs suis appoſitis; labore ingenti, animo propenſiore, arte utinam diligentiæ pari. Vidi, cum eſſem Oeniponti, admirandas illas æneas maiorum tuorum ſtatuas; quas Divi Maximilianus proavus, et Ferdinandus pater, optime faciendas curaverunt. Eas mihi in exemplar propoſui, ut q; diligentiſsime ad unum referre poſſem. Reliquas pari ſtudio sum perſequutus, ut tam insignia monumenta, non tantum in una urbe, sed etiam in orbe toto ſpectari poſſent. Interim cum tibi ipsi ipse exemplum sis virtutum omnium, non imagines illas, sed devinctiſsimum animum meum, quem exprimere volui, clementer intuere, et me benignitati tuæ quam humillime commendatum habeas.

perpetuo [illegible] addictus Franciscus Terzius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Miro prudentiæ, et pietatis exemplo Ferdinandus Imperium ab invictiſsimo fratre Carolo in se translatum administrauit; ut merito ei orbis tutelam a Deo commiſsam fuiſse diceres. Nemo tranquillitati, ac saluti suorum regnorum melius eo consuluit; nemo subditos clementius tractauit; nemo Rem publicam christianam propriarum uirtutum ſplendore illustrius ampliauit. Habuere in eo religio, sanctitas, et iustitia specimen clariſsimum, quarum quidem uirtutum ornamenta etiam illi non defuere; humanitas, facilitas, domesticorum cura, frugalitas, bonorum protectio, malorum detestatio, quibus artibus populorum animos sibi mirum in modum deuinxit. O præclaram Imperatoris militiam, quæ diuinæ uirtutis æmula suauiſsime orbi moderatur, Omnia ad se iucundiſsime trahit; omnes sibi leniſsime subijcit, nulla ui, nullo impetu, nulla cæde, sola Dei protectione acerrimos, et potentiſsimos hostes cohibet, pacem tuetur, iniurias propulsat; uictorias refert; et omnibus christianiſsimi Imperatoris expletis officijs coeleste regnum consequitur. Quis autem talem Imperatorem laudum immortali non prosequatur honore, quem suo semper Deus aprobauit testimonio!

Obijt anno chr. MDLXIIII. Imp. VI. ætatis suæ LXII. Maximiliano, Ferdinando, et Carolo. Elisabeta Sigiſmundo Augusto Regi Poloniæ, Anna Alberto Bauaro, Maria Gulielmo Cleuensi, Catrina Franciſco Mantuano Ducibus (quæ deinde Regis Poloniæ Vxor fuit) Leonora Gulielmo Mantuæ, Barbara Alphonso Ferrariæ, Ioanna Franciſco Florentiæ Ducibus matrimonio coniunctis, et Magdalena, Margarita, Helena uirginibus superstitibus, duobus orbatus, ex Anna Ladislai Vngariæ, et Boemiæ Regis filia natis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Satis superque solem commendat, qui cum eius clarum ab oriente iubar cernit emergere, Ecce solem, inclamat. Ita plane abunde Carolum Cæsarem huius nominis quintum laudat, qui eius imagine inspecta, eam Caroli eſſe dicit. et si autem laus amplificatio uirtutis est, quæ in aliquo inest, Veruntamen ut beneficii syderis præconia in recensendis potius, quam in amplificandis utilitatibus orbi collatis posita sunt, ita diuinæ huius Imperatoris uirtutes, licet ampliſſimæ sunt, a numero (modo numero comprehendi poſſint) amplitudinem suam consequuntur. Fulget in primis aureus solis orbis sua luce contentus: fulget Carolus et domeſtico splendore, et propriis uirtutum nitore. Pellit sol statim exoriens tenebras omnes: Fugat Carolus omnem uitiorum caliginem uitæ exemplo, iustitia. Percurrit sol quotidie citatissimo cursu orbem uniuersum, et mortalia omnia collustrat: Carolo ad extremas mundi partes, et priscis incognitas facilis aditus patet. Aurum ille inter diuitias optimum in terræ uisceribus generat: Fidem ille, et religionem eius comitem, ac eloquia Dei omni lapide pretioso, atque auro ipso magis desideranda in cordibus efferarum gentium disseminat: Sol Dux, et gubernator est syderum cunctorum, et omnium rerum caducarum salus, lætitia, uoluptas: Cæsar Principum specimen, populorum requies, afflictorum solatium, mundi deliciæ. Dicat ipse cœli oculus, qui omnia uidet, (nullus enim mortalium id potest) dicat inquam, quæ, et quot reliquerit Carolus in orbe uirtutum suarum monimenta: Recenseat Africanas uiperas, ac serpentes domitas: Narret rebelles, et superbos Germaniæ fluuiis demersos: Celebret uictorias, de scythis, et immanibus Christianæ fidei hostibus relatas. Attestentur hæc, Ister, et auri ferax Vngaria. Commemoret Italia olim rerum domina, cum Gallia non audeat, maxima Caroli memorabilis triumphos. Quot capita uenefica Hydræ infernum uirus euomentis præcidit? Quot semina, quot germina religionis, pietatis: Quot liberalitatis, et munificentiæ exempla; quot iustitiæ documenta reliquit? Acquisiuit regna: Debellauit Reges. Donauit Regna: Restituit Reges. Dicat ipse Sol iustitiæ qui illi suum lumen semper prætulit, quæ præmia, quas coronas, quos triumphos illi dederit, qui post orbem, quem uicerat, spretum, et se ipsum illustriori uictoria superatum, se totum Deo addixerit.

Obijt anno chr. MDLVIII. ætatis suæ LVIII. Philippo unico filio regnorum hærede, Maria Maximilian Vngariæ, et Boemiæ regis nunc Imperatoris, et Ioanna Regis Lusitaniæ uxoribus, superstitibus, ex Isabella Lusitaniæ Regis filia natis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Heu quo raperis Philippe! Quæ nubes egregiam indolem, et dignitatem Austriacæ domus inte relucentem, et ingenuam educationem tam cito obduxit! Heu præcisas de admirabili uirtute tua
spes orbis. Tene Diuus Maximilianus patre ad huncgenuit, ut paternis, et auitis Regnis specimen quoddam tanquam florem præberes, et fructus tamen iucunditatem cœli inclementia non afferres!
An cum te Deus optimus Maximus e Gallicanis fluctibus, et immani procella seruauit, idem te penitus ex mundana tempestate eripere noluit, ut Regna, quæ, si diutius uixisses,
uirtute comparasses, e cœlis despiceres; et amico sydere Carolum, et Ferdinandum filios tanq. electa germina fouetes. Excisa, non euulsa fuit arbor illa
nobilis Austriaca, cuius radices extant, et propagines Austriacæ gloriæ, pro quibus orbis uniuersus celeberrimos laudum hymnos
tibi perpetuo dedicabit.*

*Obijt anno chr. M D V I. ætatis suę X X V I I I Carolo, et Ferdinando, qui postea Imperatores fuerunt; Leonora primum Emanuelis Lusitaniæ, deinde Francisci Galliæ, Isabella
Christierni Daciæ, Maria Ludouici Vngariæ, et Boemiæ, et Caterina Ioannis Lusitaniæ Regum Vxoribus, ex Ioanna Ferdinandi
Hispaniæ Regis filia natis superstitibus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Qui bellicas Imperatorum uirtutes, et uictorias celebrant; multorum principum offensionem incurrunt, non enim uictor laudari potest, quin uictus citra aduersæ fortunæ excusationem uituperetur. Grauiſsimum hoc periculum est in Maximiliano huius nominis primo laudando; qui parua manu, et uirtute multa ingentes sæpe de multis Regibus et principibus uictorias reportauit; dum hostes ulciscitur; amicos tuetur; iniurias propulsat; rebelles domat; imperium dilatat; fidem uendicat; iura omnia humana, et diuina reddidit. Verum ne sileat laudator tanti metu periculi, cum plus posteros iuuet exemplo, quam uicti noceat argumento; nec formidet amicus laudare, quem hostis coactus est commendare. Galliam totam tremere, dicebat Ludouicus Gallorum Rex, excusso Maximiliani tympano. Vetat recens memoria singulatim tanti uiri gesta commemorare, Testis Gallia, Testis Germania omnis, Testis Vngaria, Testes Angli, Boemi, Vngari, Itali, Scythæ, et Barbari omnes; omnia scriptorum monumenta Maximilianum Austriacæ domus generosam propaginem in coelum ferunt; quem insigni uno aliquo, ut proauos, cognomine honestare inopia linguæ nostræ, et uirtutum eius copia non permittit. Ille sapiens, ut Albertus, Ille probus ut Leopoldus, Ille fortis ut Ernestus, Ille pius ut Fridericus pater, Ille tandem ipse et Maximilianus, et Maximus hactenus, et ter maximus.

Obijt anno chr. M D X I X. Imp. X X V. ætatis suæ L X. filijs orbatus ex Maria Burgundiæ Ducis filia susceptis, ex Philippo filio nepotibus superstitibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Non elogium, ſed hiſtoriam quærit inclita Friderici uirtus; nec patitur compendium, quod diuturnitas imperij eius ſcriptoribus argumentum præbet. Redierat nuper ab oriente Fridericus fortis Erneſti filius, qui paterno exemplo ſacrum ſolum inuiſerat; cum Principes in comitijs iuuenem ad modum illum Imperatorem declarant huius nominis quartum. Emicuit ille ſtatim Auſtriacæ lucis tamquam radius quidam, oſtenditque ſe a domino pacis, et ueritatis uenire. Pacem attulit ex Christi teſtamento, ueritatem coluit ex Christi præcepto. multas quidem et præclaras ex genere dotes, multa ex libera educatione attulit bona; ſed quæ accepta Deo retulit, longe plura ijs ſunt, et illuſtriora: Vincit enim diuinitas in Principibus uiris ordinariam naturæ, et inſtitutionis facultatem. Diuitem pacis Friderici nomen Germanico ſonat Idiomate; Diuinitus illi hoc nomen obtigit; uberrimos quippe pacis fructus gentibus attulit. Bella quidem aut prouocantes mouere, aut laceſſiti repellere ſolemus; in utroque genere ut cumque iuſta ratio [illegible] ſubeat, ira ſuccenditur, animus commouetur, neceſſitas urget, pericula imminent, ſcelera perpetrantur, omnia perturbantur. At pacem, et pacis officia cum dignitate præſtare, nihil ocioſe, nihil diſſolute agere, ius æquum dicere, litium cauſas præſidere, diſſidentes animos conciliare, artes alere, religionum promouere, diuina munera ſunt. Hæc Imperatoris huius [illegible] ſtudia, hæ artes fuere. oppreſſos ſubleuauit, bonos tutatus eſt, populos ſeruauit, Principes titulis honeſtauit; Imperium ornauit, Eccleſiam debita, et propria imperatoris protectione fouit. et (quod mirum, et rarum eſt) quod armis, et uiribus alij obtinere non poſſunt, ille pacifici opinione, et re conſequutus eſt. ut a cunctis Italiæ Principibus ſumma beneuolentia, et munificentia in proprijs ciuitatibus exciperetur.

Obijt anno [illegible] MCDXCIII. Imp. LIIII. ætatis ſuæ LXXX. tribus filijs orbatus, ſolo Maximiliano, qui in imperio ſucceſſit ſuperſtite, ex Leonora Eduardi Luſitaniæ Regis filia nati.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tu quoque Ladislae optime acerbiſsima tulere fata, Moeret Vngaria in luctu, cũ Boemia. Ante ortum tuum paterna, in infantia tua materna occidit lux. funeri tuo (proh dolor) Hymenei faces illuxere. Quid optime rerum pater molires? orbi ut inuideres, an cœlo consuleres, qui tam nobilem Austriacæ domus plantam tam repente euellis? Non tangit numen inuidia. Hortos igitur tali flore cœlestes q̃ primum ornare uoluisti. Adolevit pueri thura, inclytum Alberti secũdi germen lætiori solo, clementiori cœlo gaudet.

Obijt anno chr. M C D L V I I. ætatis suæ. X V I I I

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Albertus inter Principes Auſtriæ Duces quintus, inter Cæsares huius nominis ſecundus, præclara externorum bonorum ornamenta quibus et natura, et fortuna cumcumulauerunt, miris (quod mirum est) uirtutibus honestauit. Aduersos Sigiſmundi Imperatoris casus præsenti opera, et consilio reparauit. Atrociſſimo enim religionis christianę, et Imperatorij nominis hosti Ciska in Boemia graſſanti obstitit, eoque (quod maxime memorabile est) in arce Pragensi, cuius ciuitatem uictorijs insolens occuparat, Imperatorem inuit. ut regio diademate ante oculos reluctantis decoraretur. O præclaram uirtutem, quæ afflictas Imperatorum fortunas non solum erigere, sed recreare potest, plus enim uirtuti tuę fortuna debet, quam fortunę uirtus; Nam te Cæsaris generum, Te Regnorum Boemię, et Vngariæ hæredem, Te imperij denique successorem uirtus non fortuna fecit; et ut dignam imperio speciem animi præstantia exornares, Taboritarum colluuie furore et amentia perditam, quæ turpiſſimum Regem sibi ex Polonia acciuerat, uel solo aduentu, et fama nominis tui tardasti, fregisti, profligasti. utinam illustriores progreſsus tibi fata non inuidiſſent. Metuendum orbi Amuratem Turcarum Imperatorem bella Vngariæ intentantem facile contriuiſſes. Sed (heu dolor) in maxima omnium procerum uirtutis tuę expectatione, incerta de triumphis tuis spe, inuida mors æternam gloriam tuam antiuertit; luctus, et mæror omnia occupat.

Obijt anno chr. MCCCCXXXIX. Imp. II. Georgio, et Ladislao posthumo Boemiæ Vngariæque Regi, Anna Vilhelmo Saxoniæ Duci, Elisabeta Casimiro Poloniæ Regi matrimonio copulatis, ex Elisabeta Sigismundi Imperatoris filia natis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ferreus Ernestus Leopoldi filius inuicto animo inuictis uiribus prœditus, bello quia aptiſsimus pacem coluit, et iustitiam, et æquitatem Integerrimi tutoris laudem reportauit, Albertum puerum posthac Romanorum Vngariæ, et Boemiæ Regem summa fide curauit, Mox aui pietatem imitatus sepulchrum Redemptoris nostri Hierosolymis religiose inuisit, et Vitoldi Lituaniæ Principis nuper ad fidem conuersi filiam pari corporis, et animi uirtute fœminam in uxorem duxit, et numerosa, ac generosa prole auctus fati concessit.

Obijt anno chr. M C D X X. Friderico, qui postea Imperator fuit IIII. et Alberto superstitibus. Margarita Friderico Saxoniæ Duci, Catarina Carolo Badensi Marchioni matrimonio coniunctis, aliis uero quinque orbatus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Alberti sapientis filius Leopoldus in sortem Austriæ principum hereditario iure collocatus laudem ex peritia militari, mortem ex animi audacia reportauit. Præsidit fortuna citatos uiri gradus, quibus per insignes uictorias adgloriam properabat. Hostium insidiæ, locorum angustiæ Martium spiritum Leopoldi compressere, quem posteritas eius egregijs uirtutum aspirationibus instaurauit, Interim ille probi, ut pater sapientis cognomento gaudet

Obijt anno chr. M CCC LXXX VI. Vilelmo, Friderico, Ernesto, Leopoldo, Margarita Mainardo Bauariæ Duci, Elisabeta Henrico Goriciensi comiti matrimonio coniunctis et Caterina sacris initiata superstitibus, ex Virida Barnabonis Vicecomitis Mediolanensi filia natis

11

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Albertus sapientiæ cognomine illustris diuino munere populis donatus ingentem principatus potentiam cum mira sapientia (quod ad salutem subditorum optimum eſt) mirandum in modum coniunxit. Æquum enim uidebatur, ut, qui se a mundanis curis abdicauerat, et totum se Deo addixerat, in magna neceſſitate fratribus nimirum sine hæredibus extinctis, populis pro eorum incolumitate a Deo restitueretur; et principib. Austriæ ducibus, ac Imperatoribus non tam regnorum, et Imperij amplitudo, q̃ religionis, et fidei constantia in exem plum, et decus perpetuum relinqueretur. propterea nec bellica laude caruit Albertus; dum et socios, et se ab iniurijs uendicat, nec religionis officia prætermisit; dum templa condit, sacris interest, honeste uiuit, bene moritur.

Obijt anno chr. MCCCLVIII. Rodolpho, Alberto, Leopoldo, Margarita Mainardi Brandeburgi Marchionis uxore, et Caterina uirgine sacra superſtitibus, uno filio orbatus, ex Ioanna Phyrretarum comitis filia natis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Benigna quidem rerum mater natura fuit, quæ spetie digna imperiis, et admirabili dignitate corpus Friderici Romanorum regis Alberti Cæsaris filij honestauit, benignior ipse naturæ Pater, qui internas illius animi dotes mira dispensatione per aduersos nimirum casus notas esse uoluit. Pulchri cognomen illi natura dedit. Deus constantiæ, fidei, et fortitudinis ostēdendæ occasionem tribuit. Forma uirum orbi, Virtus Deo conciliauit. Et quod Imperium illi uis, et iniuria impediuit, ei uis, et ueritas confirmauit. uerūtamen cum Deo regnat in pace.

Obijt anno chr. MCCCXXX. Imp. XX. exacto. Elisabetta Caroli IIII. Imperat. et Anna Poloniæ Regis filio matrimonio conciliata, ex Elisabetta filia Regis Aragonum natis, superstitibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ex numerosa prole Alberti Cęsaris huius nominis primi Rodolphus ad gloriam, et imperij amplitudinem natus (ita enim et genus, et indoles, et studia promittebant) post nonnullas dissidentium Boemię procerum controuersias potioribus nobilium suffragijs Boemię Rex declaratur, Pragam petenti tota nobilitas officiose occurrit, Regem salutat, obsequium, operam, et obedientiam pollicetur. Rex eam animi propensionem amplexatus, ut maiorem sibi beneuolentiam conciliaret, relictam olim Venceslai Regis in uxorem accipit, mulierem propter morum modestiam, et temperantiam uitę apud omnes ordines admodum gratiosam. Mox ad regni rebelles comprimendos conuersus, nonnullas regias arces ab infestissimo Bauaro seraconense nefarie occupatas recuperauit. sola Zuicomia supererat arx omnium munitissima Bauari confugium, hanc dum obsideret, in morbum incidit; cuius leuandi gratia amicis suadentibus ut Pragam se reciperet, nequaq̃ dixit hoc faciam, malo enim in tentorio, q̃ in cubiculo regio mori, cadam prius q̃ cedam; morbo itaq; ingrauescente diem obijt patre superstite.

Obijt anno chr. M CCCVII. sui uero Regni primo, ex Blanca Philippi II. Francorum Regis filia prima uxore, et Elisabeta uidua relicta Venceslai Senioris Regis Boemię secundo uoto ducta nullis susceptis liberis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Has oris dignitate, hoc armorum splendore illustris erat Albertus Principum Austriæ Dux, et Cæsar huius nominis primus, primus item qui ob multas, et ingentes victorias de hostibus relatas triumphatoris nomen adeptus est, siquidem Adolphum comitem a Nassau Imperij æmulum dissentientibus electoribus prælio victum interfecit, illustris eius victoriæ testis est Spirensis ager, et omnium consensu illi delati Imperij fasces, Belam deinde Vngariæ, et Venceslaum Boemiæ reges, etiam Bauariæ Ducem, et Rodolphum Salisbergensem, Vellebergensem Antistitem, quos factiosos, et rebelles aliquot satrapæ, et urbes in Austria, Stiria, et Carinthia, in societatem, et spem optimæ prædæ allexerant diversis prælijs fractos strauit, lateq profligauit, contumacibus populis, perfidisq subditis omnibus in fidem, et potestatem redactis, expugnatisq omnibus arcibus, oppidis, et urbibus. Andream vero Belæ Regis filium captum dimisit, in eius matrimonio Agnete filia sua collocata. Alios præterea magni nominis Principes Vitembergensem, et Pferretarum Regulum nouas res molientes in ordinem redegit, Regnum Boemiæ mortuo Venceslao rege adolescente sororis eius filio magnis copijs aggressus filium suum regem constituit, subliniora gloriæ gradus consecuturus nisi impia nepotis manu detestando parricidio sublatus fuisset.

Obijt anno chr. MCCCVIII. Imp. X. Fridericus, qui fuit postea Imperat. Rodolpho Boemiæ Rege, Leopoldo Lantgrauio Alsatiæ, et Brisgoiæ, Ottone Stiriæ Duce, Henrico coadiutore Moguntino, Alberto Archid. Austriæ, Agnete Andreæ Vngariæ Regis, Caterina Caroli Principis Calabriæ, Elisabeta Theodorici Lotaringi, Anna Hermanni Brandeburgi Marchionis, Gutta Ludouici Comitis Ottingensis Vxoribus, ex Elisabeta Ducis Carinthiæ et comitis Tyrolis filia natis superst. XV. alijs orbatus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rodolphum uel diuinę prouidentiae calculo insignem, et praestantem Imperatorem, et tutorem orbi afflicto concessum quis non admirabitur? In quo eligendo, cum egregia de hominis uirtute apud Germaniae Principes ex praeclaris gestis antea actis opinio esset, omnes unanimi consensione conuenientes in maximo aliorum Principum ambitu, et contentione illi nec opinanti fluctuantis Imperij gubernacula commendarunt; quae cum scientissime tractaret, nulli unquam naufragij periculum in magnis etiam tempestatibus timendum fuit. Praedonum arcibus, ceu infamibus scopulis, ad sexaginta funditus euersis, Germanos uere germanos reddidit, in tuto posuit, florentes fecit. Quater et decies collatis signis uictor euasit: Pluraque Herculis monstra domuit; immanem belluam, quae simulato Friderici Caesaris facta exserere capita incipiebat, igne combussit; rebelles domuit, uictis pepercit, et quod iure belli comparauerat, benignitatis et humanitatis officijs remittebat. Postremum remunerante Deo uiri iustitiam, et pietatem illud in posteritate sua consequutus est, ut Austriacae domus splendor omnis ab eius luce tamquam a fonte emanarit, ut non tam regnorum ornamenta plura, quam rara uirtutum exempla, et documenta illi reliquerit.

Obijt anno salutis M. CC. XCI. Imp. XVIII. aetatis suae LXXIII. filijs IIII. maribus orbatus. Alberto P. Austr. Archid. deinde Imper. Rodolpho Sueuię Duci, Superst. Guta Venceslao Boemiae, Clementia Carolo Siciliae, et Vngariae Regibus, Mechtilde Ludouico Palatino Reni, Agnete Alberto Saxoniae Duci, Heduige Ottoni Brandeburgi March. Deinde Ottoni Bauarię Duci matrimonio coniunctis, ex Anna Hocnbergensi comite natis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf